



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Parallela Geographiae Veteris Et Novae

Parallela Geographica Italiae Veteris Et Novae

Briet, Philippe

Parisiis, 1649

Nvm. 6. Campi, seu Agri Campaniæ.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13120

NUM. 5. *Montes Campaniæ.*

GAVRVS, paulùm à mari remotus, olim vitifer nunc sterilis: hodie *monte Barbaro.*

TIFATA, Capuz antiquæ imminens in historiâ Romanâ celeberrimus: nunc *mons Caserta* ab vrbe cui imminet.

MASSICVS, vino suo celeberrimus; dicebatur aliter FALERNVS, quia Falernus ager erat ei conterminus: hodie *monte Dragone.*

VESVVIVS, VESEVVVS Poëtis, Græcis Vesbius, & Vesuius, vnde Columella dixit Vesbia iuga, Procopio *βίβιος*: Galenus scribit priùs dictum esse Lesbium à Lesbiiis indigenis. Describitur eleganter à Strabone lib. 5. & Procopio 2. belli Gothici: hodie *monte di Somma*: de eius incendiis scripsit libellum planè aureum P. Recupitus.

LACTORIYS, & Lactis apud Cassiod. iuxta Stabias, de cuius lacte Galenus; sed hunc cum Vesuuiio videtur confundere: hodie *Letteri* ab vrbe ei insidente.

Callicula apud Polyb. lib. 3. aliter dictus Eribanus, & Eribianus, supra oppidum *Carinola*, & *Torre di Francolese.*

NUM. 6. *Campi, seu Agri Campaniæ.*

PHLEGRÆVS, campus vbi fabulati sunt antiqui Herculem vicisse Gigantas, à Romanis & Latinis dictus est LEBORINVS, vbi erat oppidum Vulcani, aliter Leboriæ: hodie *la Solfatura.*

FALERNVS ager à Massici montis radicibus ad Vulturum fluvium extensus, vt colligitur ex Liuiio: apud Plinium tamen inchoatur tantùm à Sauone fluuio; & hunc agrum incoluere populi AMINEI sic dicti ab vrbe Amineâ in agro Falerno: *que perit, circa Calui.*

FAVSTIANVS ager ad Sinuessam.

CALENVS ager ad urbem Calenum: prope *Carinolam.*

STELLATIS ager, seu campus, post montem Calliculam, inter agros Falernum & Calenum, hoc est inter *Carinola*, & *Calui.*

De Insulis agemus capite decimo.

NUM. 7. *Picentini, hodie vne partie de la Principauté Citerieure.*

SALERNVM, Colonia munita ad domandos Picentinos, qui se

LLII ij

Annibali dederant : hodie *Salerno*. Facta est Colonia anno 7. post bellum Annibalicum ; quando scilicet , ait Strabo, Picentini vicatim habitare compulsi sunt à Ro. Olim remota erat à mari , & in montibus qui vrbi iam imminet ; Strabo tamen à mariminimùm ait esse distitam.

PICENTIA, caput gentis Straboni , tempore Marsici belli incensa , ait Florus ; hodie rudera dicta *Vicenza*, ab indigenis indicantur prope *Euoli*.

MARCINA Etruscorum opus , à Samnitibus habitata : hodie *Veteri*. Hic suspicatur Cluverius fuisse templum Iunonis Argivæ quod Iason condidit , de quo Plinius.

Eburi , incolæ Eburini Plinio : hodie omnium suffragio *Euoli*.

CAPVT NONVM.

De Magna Græcia.

§. 1. *Quid sit Magna Græcia.*

MAGNA Græcia diuersimodè apud veteres scriptores sumitur , & eius varij proferuntur fines ; ac proinde antiquos reperio in quatuor opiniones distractos.

PRIMA SENTENTIA est Plinij apud quem Magna Græcia alio nomine Frons Italiæ dicitur , & complecti tres sinus Aufonij maris Tarentinum , Locrensem & Scyllaceum : videlicet Græciam sic sumptam extendit à Leucopetra Promontorio , seu Brutio *Punta della Saëta*, ad Salentinum , seu Iapygum Pro. *Capo di S. Maria di Leuca* ; quo nomine tantùm Magna Græcia , Lucaniam & Brutios videtur continere.

SECUNDA OPINIO est Ptolemæi in suâ Geographiâ lib. 3. cap. 1. vbi duabus superioribus Iapygiam videtur adiungere ; sicque nomine Magnæ Græciæ in vnum corpus venient Apulia , Lucania , & Brutij.

TERTIA sententia est Strabonis disertè adscribentis Magnæ Græciæ lib. 6. præter 3. supradictas regiones Capaniam & Siciliam ; nam primò ait hanc occupatam esse à Lucanis , Brutiis , & Campanis : Straboni quoque de Sicilia adstipulatur Liuius lib. 7. dum Græcos nominat , quos postea Siciliæ Tyrannos vocat.